

Vg
4844



15. 78
C



1889
G.K. 1889a

15

Vg
4844

D. Jo. Olearii

33

RECTOR
UNIVERSITATIS LIPSIENSIS
 AD
REFORMATIONIS
ECCLESIASTICÆ
 PER
LUTHERUM
 FELICITER COEPTÆ
MEMORIAM RECOLENDAM
UTRIUSQUE REIPUBLICÆ
PROCERES AC CIVES
ACADEMICOS

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SALLE)

officiose, humaniter, ac decenter

invitat.

De venis indulgentiarum causis.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA





SI remissionis peccatorum veras causas aut accuratius pensiculasset, aut plenius intellexisset Robertus Bellarminus, Ecclesiae Romanae Purpuratus, parcius fortasse de **INDULGENTIARUM CAUSIS**, quae cum iis e diametro pugnant differuisset *a*). Nam si Christi nos sanguis a peccatorum sordibus purgavit, non istud Sanctorum sanguis praestitit: si remissionem peccatorum per fidem ex auditu verbi Divini ortam, & Sacramentorum usu confirmatam atque obsignatam consequimur; frustra laborant, qui poenae temporalis relaxationem ex indulgentiis, nec Verbo Dei innixis, nec cum doctrina de poenitentia & sacramentis conspirantibus sibi pollicentur: si denique Christus ex mera gratia remittit peccata; quomodo propter indulgentias, quae absque **NUMMORUM** interventu raro comparantur, aliqua speranda est relaxatio *b*)? Nolumus jam, quid ille pro hoc argumento & pingenda sua Helena in medium attulerit, ad justum revocare examen, cum hoc alii ante nos egregie praestiterint *c*). Saltim *veram* indulgentiarum, quam reticuit Bellarminus, intuebimur *Causam*, falsis atque spuris, quas ipse retulit, susque deque habitis. Causa nempe Indulgentiarum, quas ante hos centum & septuaginta octo annos, zelo Dei permotus LUTHERUS Witebergae thesum suarum affixione vellicare primum coepit, si non unica saltim primaria & satis momentosa est **CORRASIO PECUNIAE**, qua Pontificum Romanorum exaggerentur opes & locupletentur eorundem Nepotes. Ideo enim Papa per Indulgentarios suos plumbum auro, scorias argento commutat. Neque hanc mercaturam Jubilaeo tantum exercet, quod Bonifacius octavus primum constituit centesimo quoque anno celebrandum, postea Clemens sextus in annos quinquaginta, & Sixtus

a) Bellarminus L. I. de Indulgent. c. XII. *b*) Chemnitius Exam. Concil. Trid. P. IV. de Indulg. c. II. f. 220. sqq. edit. Francof. 1576. *c*) Matthaeus Sutlivius de Indulgentiis & Jubilaeo L. II. CXIII. f. 646. Daniel Chamierus Panstr. Cathol. Tom. IV. Lib. XXIV. c. VI. n. XI. sqq.

tus quartus, ut rivi aurei saepius exonerarentur in Tiberim, in quinque & viginti contraxit; Sed extra ordinem saepe, quoties ipsi marsupium dolet, medicamenta corradit e provinciis. Neque hoc satis. Præter istud indulgentiarum genus, quas temporarias vocare mos est, perpetuas excogitavit quoque, illas puto, quas ipse alligasset certis templis vel altaribus, imo rebus etiam quibusdam mobilibus, veluti rosariis aut granis benedictis, sine ulla temporis determinatione. Sed ad temporarias illas pertinent, quas Leo Papa hujus nominis decimus, seculi superioris anno decimo septimo, alibi quidem per alios, in Germania vero nostra per frontis perfrictissimæ Cucullionem Johannem Tecelium Dominicanum jussit annunciari. Cujus agyrtae historiam pluribus hic repeteremus, nisi eam passim, etiam homines de trivio, notam haberent. Et ne quis dubitet, hanc veram esse, quam allegavimus, indulgentiarum Papalium causam, ipsi Germaniæ Proceres in Comitibus Norimbergæ anno clō lxxxii. habitis, coram Oratore Pontificis palam testantur d): *Flamines Romanos per importabile istud indulgentiarum onus, sub persona pietatis, cum aut Basilicas construere, aut profectioem in Turcas parare polliciti sunt, omnem a simplicibus, nimiumque credulis Germanis exsuxisse pecuniarum medullam, dum, qui extrudere velint conductitii præcones & predicatores venales eorundem bullas, laudes suis mercibus occinant miras & inauditas, condonari per emittias hæc condonationes non modo noxas præteritas aut futuras viventium, sed & defunctorum vita in purgatorio existentium, modo numerentur aliquid, modo tinniat dextra.* Bellarmino tamen summe displicet indulgentias dici venales e). Hinc negat, pecunias ullas pro indulgentiis exigi f). Et alibi dicit, *eas pecuniis nec vendi nec emi, sed elemosynas imperari & dari ad opus aliquod pium g).* Similiter Schoppius: *Indulgentiæ, scribit h), omnibus illis, qui percipere eas desiderant, gratis dantur sine literis; indulgentiales vero literæ sive bullæ, quæ dantur ecclesiis & altaribus, in quibus indulgentiæ perpetuo valere debent, sine omni proorsus TAXA, etiam minima, expediuntur.* Sed & reliqui Thaidis Romanæ basiatores valde affici videntur, cum emtionis ac venditionis in hoc negotio meminimus, nosque mendacii insimulant eo nomine. Sed ipsimet erunt tamdiu mendaces, quamdiu TAXA Cancellariæ Parisiis impressa i) supererit, & quorundam cordatiorum Pontificiorum super ea re querelæ nostris

)(2 *in persona*

d) Gravamine III. de oneribus Papalium indulgentiarum, quod integrum recenset B. Chemnitius l. c. f. 384. sqq. e) L. II. de indulgent. c. X. f) Ibid. c. VII. g) ibid. c. IX. h) Apolog. contra Hunnium c. XIII. i) Apud Toff. denis. 1520.

insonabunt auribus, ut est illa Claudii Espensæi *k*) *Prostat*, inquentis, & in questu pro meretrice sedet liber palam ac publice hic impressus, & hodieque, ut olim, venalis, *TAXA CAMERÆ seu CANCELLARIÆ APOSTOLICÆ* inscriptus, in quo plus scelerum discas licet, quam in omnibus omnium vitiorum summis & summaris, & plurimis quidem licentia, omnibus autem Absolutio *EMTURIENTIBUS* proposita. Parco nominibus. Nam quod ait nescio quis, Nomina sunt ipso pæne timenda sono. Mirum, hoc tempore, hoc schismate, non suppressum tot tam fædorum tamque horrendorum scelerum velut indicem, adeo infamem, ut non putem in Germania, Helvetia, & ubicunque a Romana sede defectum est, opus proflare majore hujus scandalo, adeo tamen non supprimitur ab Ecclesiæ Romanæ favisoribus, ut tantorum ac talium facinorum licentiæ ac impunitates in facultatibus Legatorum illinc huc venientium bona ex parte innoventur atque confirmantur. Et post enumerata crimina, quorum impunitas pretio venditur: Habeat, inquit, jam Roma pudorem & tam nullius frontis criminum omne genus catalogum prostituere desinat: Paulo post hæc citat ex Mantuano: *Heu Romæ nunc sola pecunia regnat*. Quamvis autem Indulgentiariis vendendi verbum displicere videatur, nihil tamen aliud intelligunt per *justas causas*, sine quibus indulgentiæ nullius sunt fructus. De iis autem vehementer inter se litigant ipsi: alii enim volunt, ut causæ indulgentiis sint proportionales, alii non. Prior opinio apud Jesuitas obtinet, qui statuunt *l*), Indulgentiam nullius valoris esse, si magna concedatur pro parva causa, id est, si pro sestertio, vel alio parvi momenti pretio daretur Indulgentia decem annorum: nisi hæc *Emulgentia* universo cuidam populo data sit, ut ex tota multitudine pretium Pontificali dono dignum colligi queat. Sic enim scribit Magister noster Josephus Angles Hispanus *m*): *Conceditur toti Hispaniæ & omnibus regnis invictissimi Regis nostri Philippi, pro INGENTI THESAURO, qui explicatione diplomatis ad expugnandos Turcos aggregatur. Et cum tantus Thesaurus non possit ab uno offerri, hac de causa omnibus, qui partem illius Thesauri SOLVERINT, conceditur. Quemadmodum esset sufficiens causa, si Rex centum mille ducatos Romano Pontifici offerret, ut illas indulgentias omnibus regnis Hispaniæ conferret, etiamsi Rex postea a singulis civibus partem istam summæ EXEGERIT*. Id est, posse Reges magno pretio ac merci proportionato, Bullam a Papa emere, eamque postea minutatim inter

k) Epist. ad Tit. c.I. p.67. *l*) Vid. Bellarminus de Indulg. L.I. c.XII. §. posterior.

m) Quæst. de Indulg. in IV. Sent. art. II. Diffic. V. in Conclus.

inter eminentes distrahere. Sed observandum ex Bellarmini antea productis verbis *n*), *SOLVERE* lingua Romana esse *eleemosynas dare*; *EXIGERE* autem *easdem imperare*. Hinc ægre ferunt, quod eos qui solvunt emere, & qui exigunt vendere dicamus: nosque mendacii arguunt, quod adeo simus hebetes, ut nequeamus capere, quomodo Papam Bullam liberaliter ac gratuito donet, etiamsi a Rege Hispaniæ centum mille ducatos pro ea accipiat. Cæterum non est mediocris fortunæ hominis, separatim pro se Bullam obtinere, quia non est instructus *Causis sufficientibus*. Recte igitur fecerit, si Bullæ generalem distributionem expectet, ejusque particulam sibi adquirat. Circa posteriorem sententiam dignus est qui audiatur Gulielmus Parisiensis, in suo Sacramentali ostendens *o*): *Quosdam suo tempore* (vixit autem circa medium seculi decimi tertii) *contradixisse indulgentiis, primo, quia credebant, indulgentias esse venales venalitate, qua Deus defraudaretur, non solum ultra mediam justii precii partem, imo etiam ultra æstimationem, dum benefactoribus alicujus loci tertia pars pœnitentiæ injunctæ remittitur pro obolo uno aut ovo. Secundo, quia credebant esse iniquum, ut eo pretio redimantur pœnitentiæ longæ & graves, quo breves ac leves. Tertio, quia visum est eis, quod istud sit venalem facere gratiam. Quarto, quia dicebant inde sequi impunitatem peccandi, sitam levis & ridiculosa est peccatorum remissio: per tres enim nummos tales absolvi a tota pœnitentiâ, & propterea insanissimos esse, qui longas istas & laboriosas peregrinationes propter causam agendi pœnitentiâ suscipiunt. Non probat ista quidem Gulielmus, sed ita sane respondet, ut dubitationem de indulgentiis magis auxisse videatur. Neque enim negare potuit, quin pro exigua eleemosyna maximæ sæpe dentur indulgentiæ, & pro eodem pretio fatetur & minores & maximas concedi indulgentias. Annon vero hoc est compendium facere pœnitentiæ? Egregie nimirum ac perquam liberaliter agi secum putant miseri, si parvo ære permutare possint molestias tot laborum, qui sibi alias essent obeundi pro peccatis. Et nonne hinc maximæ oriuntur ad peccandum illecebræ? Quis enim flagitiose facere abstineat, qui hominibus sceleratissimis peccatorum indulgentiam tam facile impendi videt. Hinc supra, inquit Principes Imperii, de indulgentiis loquentes *p*), hinc incestus, adulteria, perjuriam, homicidia, furtum, rapinam, fœnora, ac tota malorum lerna simul originem traxerunt. Quod enim malorum amplius jam horrebunt mortales,*

n) L. II. de Indulg. c. XII. *o*) apud Sutlivium L. I. de Indulg. c. XXIII. f. 477.
p) Gravam. III. de onerib. indulg. Papæ.

les, quando sibi peccandi licentiam ac impunitatem, nedum in vita, sed & post obitum, ære licet modico comparare posse a nundinationibus illis indulgentiariis semel persuasum habent? Sane his mercium nundinationibus simul & spoliata est ære Germania & Christi pietas exstincta. Neque causari potest Bellarminus, ipsos vel contra indulgentiarum abusus loqui, vel pecunias ex hoc fonte profectas, elemosynas esse, & non nisi in sacros usus converti. Ipsas enim indulgentias taxant Principes, & alibi q) diserte dicunt: *Se compertum habere, pecuniam hanc non in rem fidei aut aliqui Reipublicæ Christianæ necessariam, sed in propinquorum Pontificis luxum ac sublevandam familiam ipsorum esse versam.* Nam ut maxime tum jactarentur bella Turcica, vel nescio quarum Basilicarum structuræ, tamen quicquid esset auri argentique corrasum, id omne cedebat Pontifici in usus privatos, hoc est, ut ne deesset, quod in scorta sua, aut nepotes effunderet, ut haberent agnati peccata Germanorum, quæ perderent alearum lusu. Interim de Indulgentiis ita diserebant in Scholis Doctores, ut vulgo crederetur, eas nihil aliud esse, quam, ut supra innuimus, *pœnitentiæ quædam compendia*, nec alia sub facie istas Papa per emissarios suos ac satellites credulæ plebi obvertebat, cum revera essent avaritiæ ejus vel quarumcunque cupiditatum instrumenta. Quo nomine jam olim Petrus Apostolus, nummularios istos, Gratia Dei venditores, Spiritu prophetico perstringens r): *In avaritia, inquit, fictis verbis de vobis negociabuntur.* B. Judas etiam recte eos designasse videtur, cum ait s): *quosdam deceptione mercedis, qua deceptus fuit Balaam, effusos esse.* Nec alios intellexit Johannes Theologus in Apocalypsi t), ubi loquitur *de negociatoribus terræ, flentibus & lugentibus super Babylone*, quam Pontificum Romanorum in negociatione circa indulgentias institores & quæstores. Nam & hi animas vendunt ut Babylonici mercatores u), & pro pecunia gratiam Dei, remissionem peccatorum, & ipsos cœlos promittunt, juxta tritum illum versiculum, qui sceleratum carmen x), quod de laudibus indulgentiarum in templo Bituricensium cathedrali legitur, his verbis finit:

Pro solo nummo gaudebis in aethere summo.

Sed quod Christus olim fecit, quando omnes ejecit vendentes ac ementes in templo, & mensas nummulariorum evertit y); idem in Ecclesiis nostris

q) Gravamine IV. r) II. Petri II. 3. s) Jud. Epist. v. II. t) Apocal. XIIX. II.
 u) Ibid. v. 13. x) Totum hoc exhibet Chemnitius Exam. Concil. Trident. P. IV. de indulgent. f. 361. y) Luc. XIX. 45.

stris electum illud Dei Organum, Divus LUTHERUS facere visus est z), quando affigendis Witebergæ contra Papales Indulgentias thesibus, pridie Calendas Novembris, anno clō Io XVII. Reformationis operi nunquam satis admirando primam applicuit manum, & ex illo contra effrænem, quæstorum Romanensium impudentiam certamine occasionem arripuit repurgandæ doctrinæ de merito Christi, de gratuita remissione peccatorum, de justificatione, de poenitentia, de absolutione, de clavibus regni cœlorum, de fide in Christum, de bonis operibus, & hujus generis aliis. Digna profecto res, cujus memoria non modo exquisitis indictis a nobis renovetur feriis, sed & a Majoribus nostris tot argenteis consecrata fuerit nummis. Nam ut celebris ille Historiarum Galliæ Conditor Gramondus recte observat aa): *Lutheranorum* (Jubilæum suum anno decimo septimo hujus seculi celebrantium) *in id præcipua studia fuere, ut maneret rei memoria per nummos argenteos, quos Saxones, Francofurtenses, Wormacienses ac Nurembergi edidere.* Quibus sculptarum imaginum juxta & inscriptionum typum mox subjicit, vel Lutherum ipsum sub forma Angeli apertum Evangelii librum manu tenentis, vel Principes reformationis fautores & promotores, vel divini Nominis ac Verbi in æternum manentis robur ac perennitatem referentem. In quo quidem quid jure idem reprehendere aut sugillare Scriptor Pontificius possit, non apparet. Quod si namque Deus ipse verbum suum in phylacteriis & vestimentorum fimbriis, in frontalibus, in postibus ædium ac portis scribi bb): si Hiobus de resurrectione doctrinam stylo ferreo ac celte inscribi in silice ad perpetuitatem voluit cc): si Judæi, ne animo excideret, quod per virgam Aaronis virentem & panem Angelorum ipsis Deus significarat, in Siclo, nummo Sanctuarii, impressam imaginem illorum circumferebant dd); quid obstat, quo minus Reformationis opus, quo nullum majus inde usque a redempto orbe humano generi indulsit Deus, Evangelici Principes atque Urbes, quorum antea nummis sese per indulgentiarum nundinationes dita-

z) vid. Chemnitius de fatali indulgentiarum termino, quomodo Deus cathedras vendentium indulgentias & mensas nummulariorum istorum gladio Spiritus per ministerium Lutheri subverterit, l. c. f. 388.

aa) Gabr. Barthol. Gramondus Hist. Gall. l. II. f. 177. bb) Deut. VI. 6. 7. 8. XI. 18. 19. 20. cc) Hiob. XIX. 23. 24. dd) Vide sis Ezech. Spanhemium dissert. de præstantia & usu Numism. dissert. IV. f. 333, sqq. Joh. Leusdenium Philol. Hebr. mixt. Diss. XXVII. f. 192.

49 4844

ditaverant Romani Pontifices, nummis argenteis insculptum ad posteritatis memoriam referrent. Nimirum ferre Deus potuit, ut verbi sui & divinorum facinorum memoria in care, in nummis, in lapidibus, in vestimentorum oris conservaretur: ut beneficii Lutherani exhibiti in nummis argenteis propagaretur, Gramondus ferre non potuit.

Nos exciti hodierna præprimis festivitate, & quam de VITA LUTHERI NUMMORUM MEMORIALIUM MONUMENTIS CONSIGNATA, excellenti eruditione Juvenis, Dn. M. CHRISTIANUS JUNCKERUS Dresdensis, e suggestu Paulino habebit, *elegantissima Oratione* inflammati, Beneficium REFORMATIONIS nullo unquam tempore ex animis elabi nostris patiemur. Processio fiet e Sacello Nicolaitano, post peracta Sacra matutina. Cui interesse actui solenniori UTRIUSQUE REIPUBLICÆ PROCERES AC CIVES NOSTRI ut velint, ad debitas Deo fundendas gratias, & testificandum ingentis Beneficii æstunium, est quod officiose ac perhumaniter contendimus atque rogamus. P. P. pridie Calendas Novembris, in Vigilia omnium Sanctorum, anno reparatæ salutis clis Ibc XCV.

TYPIS GOEZIANIS.

m.c.





3

ULB Halle
003 584 089



Pow. dig.

V077





non istud Sanctorum
 fidem ex auditu vult
 atque ob signatam
 relaxationem ex
 poenitentia & facta
 Christus ex mera gratia
 quæ absque Nummo
 est relaxatio b)?
 sua Helena in me
 llii ante nos egregie
 ticuit Bellarminus
 tulit, susque de qua
 hos centum & septem
 Witebergæ thesauri
 ca saltim primarij
 Pontificum Romanorum
 Nepotes. Ideo e
 rias argento com
 ercet, quod Bonifacius
 no celebrandum.

a) Bellarminus L.
 P. IV. de Indulgentiis
 de Indulgentiis
 chol. Tom. I.

...sas aut accu-
 ...sisset Robertus
 ...us, parcius for-
 CAUSIS, quæ
 ...t a). Nam si
 ...us purgavit,
 ...catorum per-
 ...i confirmatam
 ...næ temporalis
 ...m doctrina de
 ...: si denique
 ...r indulgentias,
 ...liqua speranda
 ...to & pingenda
 ...n, cum hoc a-
 ...rum, quam re-
 ...s, quas ipse re-
 ...am, quas ante
 LUTHERUS
 ...it, si non uni-
 ...CUNIÆ, qua
 ...tur eorundem
 ...um auro, sco-
 ...eo tantum ex-
 ...o quoque an-
 ...ginta, & Six-
 ...tus
 ...n. Concil. Trid.
 ...thæus Sutlivius
 ...erus Panstr. Ca-

